

XLVI. Constantiam porrò & diligentiam patrum nostrorum, in cuenda fidei hujus sinceritate, idem *Irenaeus l.3. cap.4.* ita describit post præmissam Symboli repetitionem: *Hanc fidem qui sine literis crediderunt, quantum ad sermonem nostrum, barbari sunt: (qui illi Irenæo in Galliis scribenti barbari alii quam ex superius nominatis Germani, & quidem interiores imperio Romano nondum addicti? Hispani enim, cum Oriente Ægypto Africa & mediterraneis regionibus Romanis & quæ ac Galli accensendi & à barbaris pari jure ac in Galliis scribens Irenæus secernendi sunt) quantum autem ad sententiam & consuetudinem, & conversationem propter fidem, per quam sapientissimi sunt & placent DEO, conversantes in omni justitia & castitate & sapientia. Quibus si aliquis annunciarerit ea, quæ ab hereticis inventa sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium.*

XLVII. Eandem laudem etiam Confessores Augustani merentur, qui, cum AntiChristus multas horrendas abominationes fidei Apostolicæ contrarias, ex variis hæresibus contextas in Ecclesiam invexisset, Augustana Confessione coram toto orbe contestati sunt, se illas toto corde improbare, & simplicitatem fidei juxta Symbolum Apostolicum approbare: ceu & singuli articuli eò directi sunt, ut Symbolo Apostolico sua constet veritas & integritas; & in tertio A. Conf. Articulo disertis verbis ad Confessionem illam antiquorum Germanorum provocant scribentes; docent &c. juxta Symbolum Apostolorum.

XLVIII. Alterum Symbolum Universale Nicenum est, in quo propter Arii blasphemias, secundæ Personæ vera DEITAS plenius explicanda fuit: atque cum ὁμογενὴ vox Ariani formidini esset, ceu Patres ex lecta in Niceno Concilio Eusebii Nicomediensis Epistola viderunt, in tractatu fidei eam posuerunt, teste *Ambroſio l.3. de fid. c.7.* quam & ut notam fidei summo studio retinuerunt: ita ut ne literam addere &